



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm V. Qui post.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Qui post.

PARAPHRASIS.

Si Titius Religionem se ingressurum voverit, postea verò aliam Religionem, quamvis laxiorem ingrediatur, in eaque proficatur, ibi permanere potest, non obstante priore voto, quippe cui tanquam simplici per alterum solemne derogatum est; sed ob votum prius non completum pœnitentia ipsi imponenda est.

SUMMARIUM.

Notum simplex ingrediendi, aut proficendi in Religione aliqua, tollitur per professionem, postmodum in alia quacunque Religione factam.

Notandum. Simplex votum ingrediendi, aut proficendi in una Religione tollitur per posterius solemne votum professionis, in altera quacunque Religione editum. Ratio est, quam *Monachus* dat, quia minus vinculum tollitur per vinculum majus, & fortius, si cum illo non collidat; v. g. simplex venditio tollitur per alteram posteriorem venditionem, secutâ traditione *L. quoties 15. c. de rei vindicatione* & sponsalia de futuro, cum sint simplex sponsio, solvuntur per sponsalia de præseente, seu matrimonium cum altera *c. 1. de sponsa duorum*, quamvis peccet is, & injurius sit, qui contra fidem primorum sponsaliorum cum altera contrahit *c. si inter 31. de sponsalibus*. Pari modo se habet res in proposito: si quis voverit certam Religionem, non ut eam tantum experiatur, & re ipsa proficatur Religionem laxiorem, is peccat, quia minus præstat, quam vovit; at verò voto liberatur priore, quia cum simplex fuerit promissio, tollitur, ac veluti absorbetur à voto solemniori professionis, prout docui *L. 4. tr. 5. c. 6. n. 6.*

Addidi autem, non ut tantum experiatur &c, quia, si votum editum sit de Reli-

gione ingredienda animo probandi, liberè commutari id potest in votum proficendi, aut ipsam professionem in Religione laxiore; cum id majus, & melius sit, votum autem non infringit, qui in melius commutat *argum. c. 3. de jurejurando.*

CAPITULUM VI.

Si ad solum.

PARAPHRASIS.

Si creatio monachi, seu susceptio ad Religionem ad solum Abbatem spectet, tunc vacante prælaturâ Conventus monachorum creare, seu ad professionem admittere non potest; sin autem ad utrumque simul spectet monachi creatio, vacante prælaturâ Conventus admittere potest ad professionem.

SUMMARIUM.

1. *Consuetudo Monasterij facere potest, ut consensus Capituli intervenire debeat, in admissione ad professionem.*
2. *Si tamen ad solum prælatum admissio talis pertineat, non potest vacante prælaturâ admittere Conventus.*

Notandum primum. Num Abbas in admissione ad professionem consensum Capituli habere debeat, nec ne, pendet ex consuetudine Monasterij. Ita *Monachus, & alij his*. Cæterum spectato communi jure, videtur requiri consensus, aut receptio ad utrumque simul, Abbatem videlicet, & Conventum, sicuti docet *Glossa* à pluribus approbata.

Notandum secundò. Si ad solum Prælatum pertineat susceptio ad professionem, vacante prælatura Conventus non potest aliquem suscipere; nam quæ jure speciali conveniunt Prælato, ea vacante Sede non transeunt ad Capitulum, sive Conventum, prout *Franc. hic* notat *n. 1.* & docui *in disp. de jurisdictione ordinaria c. 89.* Sin autem ad utrumque simul pertineat receptio ad professionem, tunc Conventus recipere potest, si Sedes vacet, uti etiam colligitur ex

F ff 3

cap.